

Zuhalt:

1. *Critique sur Legidagla raufinum Galizicum von Novicki — 1865.*
2. *Inscia Hallicae Musei Dzieduszyckian per prof. Novicki — 1865.*
3. *Micrologyd apteronum species novae auct. prof. Novicki — 1864.*
4. *Enumeration lepidopteron Halitiae orientalis auct. prof. Novicki — 1860.*

86-3

MICROLEPIDOPTERORUM

27.101


SPECIES NOVAE

AUCTORE

Prof. Dre MAXIMILIANO SIŁA NOWICKI.

Accedit una tabula illustrata.

SUMPTIBUS VLADIMIRI COM. DZIEDUSZYCKI.



CRACOVIAE

TYPIS UNIVERSITATIS JAGELLONICAE

Provvisor Thomas Szczurkowski.

1864.

44788

INSTYTUT ZOOLOGICZNY
POLSKIEJ AKADEMII NAUK
BIBLIOTEKA
Nr K.10178

Quamquam me Faunae entomologicae Haliciensi operam navantem haud panca acquisivisse puto, nihilo minus tamen multo plura exsequenda esse non diffiteor, priusquam quae sit nostrae Faunae copia quamvis singulorum tantum ordinum ratione habita plane atque accurate me perscrutatum esse, de me ipso praedicabo. Nam ut omittam mancam quodammodo atque inchoatam cognitionem contemplationemque nostrae Faunae, id solum agam, ut hac occasione oblata lepidoptera Haliciensia inquiram atque excutiam. Quae enim in opusculo a me confecto, quod „Enumeratio“ inscribitur anno 1860 allatae sunt circiter mille quingentae species, eae nunc ad mille septingentas amplificari possunt*). Quas tamen species vix duas partes universarum quae in ampla nostra Faunae area exquirendae ac detegendae erunt efficere equidem opinor, quoniam non est dubitandum, quin non solum Microlepidopteris minutissimis inventis patriae Lepidopterologiae haud exigua copia sit accessura, sed etiam futurum sit, ut multae species sibi simillimae ac nondum satis exploratae atque in majoribus excursionibus investigantium oculis facile se subtrahentes, veluti illae, quae in occultis locis vivunt, quaeque exiguum spatium inhabitant aut non obtinentur, nisi ex erucis educantur, haud parvam sane copiam praebent. Quam-

*) Additamentum ad Enumerationem mox in Actis Zoologico-Botanicae Societatis Vindobonensis in lucem prodibit.

vis denique a me multae vastiores ditiones areae Faunae ab inferiore usque ad alpinam regionem visitatae sint, tamen dubitari nequit, quin eorum studiis, qui Entomologiae operam navent, multa et intacta nostrae terrae loca pateant. Quoniam vero in excursionibus susceptis in universam Faunam incubui, Lepidopterologiam adeo promotam et proiectam duodecim tantum novis speciebus a me amplificatam esse equis mirabitur? Quarum quidem complures in Enumeratione mea descriptae inveniuntur; hoc opusculo universae adumbratae illustratisque iconibus explicatae continentur. Mea collectione lepidopterologica partim Leopolitanum Museum Dzieduszyckianum, partim Museum zoologicum Universitatis Literarum Cracoviensis usus publici gratia donavi. Depicta in annexa tabula specimina typica novarum specierum in Museo Dzieduszyckiano aservantur, dupla vero cum Museo Zoolo-
gico Palatini Vindobonensis et cum familiaribus le-
pidopterologis Vindobonensibus communicavi.

Scripsi Cracoviae Octobri anno ab Universitate
Literarum Cracoviensi condita quingentesimo.

Tortricina.

Tortrix (*Choristoneura*) Besseri Now. f. 12 ♀ ♂.

Varians, alis anterioribus cinereo cervinis, striulis grossis fascia que media hepaticis, area basali vix discernenda et macula marginis anterioris ante apicem nulla aut indeterminata; posterioribus ♀ fuscescenscentibus, ♂ cinereis.

Nowicki Enumeratio Lepidopterorum Haliciae Orientalis, 1860, p. 125 ♀.

Expansionem 8—9" habet.

Corpus cervinum, pedes exalbidi. Articulus basalis antennarum ♂ crinitus ut in Diversana, quacum Besseri, ad mentem clar. Ledereri, ad subgenus Choristoneuram spectat.

Alarum anteriorum area basalis ad summum distinctiori strigula limitata est; fascia media acutius terminata, integra (f. 12 ala sinistra), nonnunquam medio interrupta (f. 12 ♂), insuper ad marginem anteriorem latior, rarius marginem interiorem versus dilatata (f. 12 ala dextra); area limbalis grosse strigulata, macula marginis anterioris plerumque nulla tantumque strigula indicata, quae a margine anteriore usque ad interiores continuatur. Limbus subobliquus et sicut apex rotundatus. Margo anterior haud replicatus.

Nervatura eadem est ac *Diversanae*. In alis anterioribus rami omnes separati sunt, ramus 7 in limbum excurrit amplectiturque cum r. 8 apicem, ramus 2 e media tertia parte costae mediae posticae egreditur. In alis posterioribus costa media postica haud crinita; rami 3 et 4 exeunt ex eodem puncto anguli postici et rami 6 et 7 pariter ex eodem puncto anguli antici cellulae mediae; ramus 5 multo propior est ramo 4 quam r. 6 oriturque e costula transversa basin versus in angulum fracta, unde exit costula indistincta, cellulam medium dividens.

Cilia lutescentia, linea dividente fusca.

Subtus alae lutescenti griseae, anteriores in margine anteriore debiliter strigulatae, posteriores pallidiores apiceque lutescenti obscurius reticulato.

(*Diversana* distinguitur fundo lutescenti, strigulis debilioribus, fascia media ad marginem anteriorem angustiori medioque interrupta).

Procreatur in piceto *Iedlina* in collina ditione circa Stupnicam, ubi 29 Junii 1856 a me detecta est.

Anno 1862 missa sunt e Thermis Carolinis (in Bohemia) Zoologico Museo Palatini Vindobonensis specimina Tortricis, cujus erucae silvas Abietis pectinatae devastabant. Custos hujus Musei Rogenhofer in congregatione investigatorum naturae Stettinensi paenultima de hac dubia Tortrice publice disseruit eamque *Murinanam* Hübner fig. 105 esse affirmavit, cui sententiae clar. Zeller et Wocke accessere. Specimina Halicina congruunt cum Bohemicis, nullum autem aequiparat Hübneri iconem, peculiarem forsitan varietatem repraesentantem. In operibus lepidopterologicis auctores *Murinanam* H. 105 cum *Loxotaenia*

Histrionana H. 310, 311 confuderant, solus ingeniosus Lederer addidit signum ?. Si igitur adumbrata hoc loco et a Lepidopterologis longe ignorata Tortrix se revera Murinanam praestiterit, tunc nomen recentius „Besserii“ relegandum erit.

Penthina (Sericoris) Źebrawskii sp. n. f. 1*♂.

Alis anterioribus livide albicantibus, fascia media et antelimbali obsolete ochraceis; posterioribus cinereis.

Expansionem 9" habet.

Capilli ferruginei; antennae fuscae; palpi breves, crassi, cinereo lutei; thorax cum scapulis ferrugineo fusca, ille haud coryphatus; pedes cinereo lutescentes, tarsis fusco signatis, postici tibiis incrassatis, interne vix penicillatis, calcari medio interno longiori; abdomen supra obscure cinereum, subtus pallidius, capillis analibus medio luteis.

Alarum anteriorum fundus ex livido albicans, squamulis inspersis fuscis, at basi tantum anguloque apicali vix conspicuis; signatae debiliter expressae, at sat acute terminatae; area basalis haud discernenda, paucis inordinatis squamulis ochraceis. Fascia media infra furcata, ramo antico abrupto propeque marginis interioris medium excurrente, ramo postico extrorsum directo. Fascia areae apicalis limbo parallela, dentata, superne dilatata, inferne angustior junctiturque postico cum fasciae mediae ramo, quocum signum V sat bene mentitur. Margo anterior nec replicatus nec hamulatus.

*) In tabula erroneo „Heterognomon“ subscriptum,

Nervatura alarum anteriorum haec est. Cellula media dividitur costulis duabus: altera breviuscula e costa media anteriore intra ramos 10 et 11 oriente et in ramum 7 desinente, altera longiori a ramo 5 basin versus tendente. Rami omnes separati, r. 3 et 4 prope se exeuntes, r. 5 egreditur e costula transversa baseosque ramo 4 multo propior est quam ramo 6, rami 6 et 7 remoti limbumque versus divergentes, rami 10 et 11 marginem anteriorem recte petunt neque usquam sibi appropinquant, r. 10 propior est ramo 9 quam ramo 11. Alarum posteriorum costa media postica baseos crinita; rami 3 et 4 proveniunt ex eodem punto inferioris et rami 6 et 7 ex eodem punto superioris anguli cellulae mediae; ramus 5 e costula transversa oriens distat magis a ramo 4 quam a ramo 6.

Cilia utrimque lutescenti-cinerea, basi linea divedente fusca. apicibusque distinctiore. Puncta ocellaria nulla.

Subtus alae anticae obscure griseae, nitidae, in margine anteriore hamulis carentes; posticae cinereo albidae, apicem versus paulo obscuriores.

Omnis denique adspectus descripti animalculi tantopere est peculiaris, ut nullo modo cum ulla cognita specie commisceri possit. Differt primum ab omnibus illis Sericoribus, quae ciliis haud variegatis aut alis rivulosis insigniuntur. Inter reliquas Sericos fascia areae apicalis limbo fere parallelia uni *Spurianna* HS. est cum mea specie communis. Obsoletae signaturae nullaque nigredo alarum anticarum mei speciminis in memoriam revocant *Sudetanam*. Pro varietate denique *Charpentieranae* haberi non potest,

quia omni vestigio nigredinis, fascias ambas dilutas medio interruptis, omnino caret.

Detecta unico specimine 25 Julii in occidentalem Tatrorum monte Wołowiec, 6533 p. v. elato. Degit ibidem, simul cum Poeciloptilia bifasciella Tr., Micropteryge aureatella Scop. etc., in regione alpina, intra tergum superioremque Mughi limitem, in graminoso declivi ad scopulosum montem Rohacz spectanti.

Grapholitha Lobarzewskii Now. f. 2. ♀.

Alis anterioribus fusco aureis, cupreo tinctis, antice indeterminate fusco rivulosis, postice margine anteriore hamulato et speculo abscone limitato limbumque versus nigro pustulato; posterioribus cinereo-fuscis; capillis fusco aureis, fronte palporumque omnibus articulis albidis.

Nowicki *Enumeratio Lepidopterorum Haliciae Orientalis* 1860, p. 138, ♂, ♀.

Expansionem $6\frac{1}{2}$ " habet.

Antennae fuscae; collare cum thorace et scapulis fusco aurea; thorax haud coryphatus; abdomen supra fusco cinereum, subtus cum pectore pallidius; pedes ochroleuci, tarsis obscure signatis, posticorum tibiis calcari medio interno longiori quam calcari externo, in ♂ sine penicillo.

Alae anteriores confuse indeterminateque signatae, praecipue in majori parte basali, quae lineis transversis fuscis obtigitur. Macula marginis interioris fundo vix laetior passimque lineolis arcuatis fuscis divisa. In dimidio apicali marginis anterioris distin-

guuntur 5 tenuissimi hamuli simplices albidi, ab apice decrescentes limbumque versus spectantes; ex hamulis quarto et quinto (hoc interdum duplice) oriuntur lineae nigrae plumbeo submicantes, quarum prior grossa punctata infra hamulos ad punctum ocellare et posterior latior ad speculi latus interius tendit. Striae longitudinales fulvae nigrae in disco nullae discernuntur. Speculum suborbicularare, sat distinctum, obscuro colore circumscriptum, intus fundo alae concolor duabusque remotis lineis transversis fumatis, harum postica seriato nigro pustulata. Punctum ocellare simplex, ochroleucum, utrimque distinctum, sub apice positum. Angulus posticus perspicuus, apex haud falcatus, margo anterior ♂ haud replicatus.

Nervatura aequat nervaturam *Kokeilanae*. Alarum anteriorum cellulam medianam duae costulae dividunt, rami omnes separati oriuntur, ramus 2 e media tercia parte costae mediae posticae egreditur, ramus 5 baseos ramo 4 valde approximatus est, rami 7 et 8 apicem amplectuntur et ramus 10 propinquior est ramo 9 quam ramo 11. Alarum posteriorum costa media postica baseos crinita; ramus 2 e medio costae mediae posticae, rami 3 et 4 oriuntur ex eodem punto postici et rami 6 et 7 item ex eodem punto antici anguli cellulae mediae amplectunturque apicem, ramus 5 rectus, e costula transversa emanans, a ramo 4 remotus paralleisque cum eodem currens; costa 8 libera desinitque in marginem anteriorem ante apicem.

Cilia alarum anteriorum albido lutea, posteriorum albida. Linea dividens distincta fusca.

Subtus alae fusco cinereae, nitidae, posteriores baseos pallidiores, anteriores ad limbum flaventes et

in margine anteriore hamulis simplicibus vix conspicuis.

Ambo sexus pares sunt, nisi quod ♀ signaturis distinctioribus gaudet.

Mirus hic papiliunculus proximus est Grapholithae (sec. Ledereri systema) *Kokeilanae* HS. f. 171, quae tamen comparatis speciminibus Musei Zoologici Palatini Vindobonensis alarum anteriorum et colore et signaturis acutioribus, disco speculoque longitudinaliter nigro striato, limite interiore speculi dentato, subtus disco alarum omnium albo, denique et palporum articulo terminali nigro specifice discrepat. *Amygdalana* HS. f. 231, item *Pudicana* HS. 332, absimiles sunt meae speciei. Phthoroblastis (Led.) *gallicolana* HS. f. 172, quam Dr. Heinemann cum Grapholitha (Led.) *Kokeilana* identicam esse censem et in subgenere Strophosona HS. (Phthoroblastis Led.) affert, macula marginis interioris alba, disco et speculo striato, capite albo palpisque nigro-signatis distinguitur. Coptoloma *incisana* HS. f. 173 separatur alis posterioribus inter angulum analis et ramum 2 truncatis, et Steganoptycha *minutana* HS. f. 174-5 limbo sinuato.

Observata solitariae mense Junio in pomario Samboriensi intra zizania sub horreo luxuriantia, praeterea in luco frondoso prope Leopolim. Etiam ad Tivoli juxta Schönbrunn prope Vindobonam unum specimen detectum est, quod in Caesareo Museo Zoologico Vindobonensi cum Kokeilana commixtum inveni. Quam in Halicia invenire hucusque nemini contigit.

Tineina.

Kessleria nov. gen.

Tineidae minutae Swammerdamiis affinissimae, hisque jam a clar. Dre Herrich-Schäffero dubitanter adnexae. Caput dense hirtum; antennae longae, articulis alternatim prominulis, vix conspicue ciliatis; palpuli nulli; palpi sat longi, graciles, scabriusculo squamosi, ultra caput prosilentes, articulis 2do et 3tio aequae longis ac crassis; lingua spiralis distincta; pedum anticorum femora dimidio fere longiora tibiis, et posticorum calcaria antica post medium inserta.

Alae omnes angustae, aequilatae, longe ovatae, posteriores parum breviores anterioribus, loco hyalino basali carentes. Costae omnes separatae et cellulæ mediae clausae. Alae anteriores costis 12 insignes sunt; earum costa 1 basi non furcata, ramus 2 e costa media postica remote a ramo 3; rami 3-9 e costula transversa, ramus 10 e costa media antica mox ante costulam transversam; ramus 11 e basali dimidio costae mediae anticae; costa 12 paulum imperspicua, e basi juxta marginem in medium hujus tertium; rami 7 et 8 amplectuntur apicem; marginem anteriorem inter finemque rami 11 invenitur majuscum pterostigma. Alae posteriores omnino veluti in Swammerdammia costatae, costis 7; ramus 2 e tertio postico costae mediae posticæ; rami 3, 4 et 5 ex inferiore angulata parte costulae transversae; ramus .

4 propinquior est ramo 5 quam ramo 3; ramus 5 continuatur in costulam cellulam medium dividentem; ramus 6 recta est prolongatio costae mediae anticae; rami 5 et 6 apicem amplectuntur; costa 7 in finem tertii medii marginis anterioris desinit.

E finitimus generibus *Teichobia* HS. distinguitur costis 8 alarum posteriorum. *Swammerdammia* HV. discrepat costis 11 alarum anteriorum ramisque 6 et 7 apicem amplectentibus, tum calcaribus mediis posticarum tibiarum ante medium insertis et in alis posterioribus loco hyalino basali. *Zelleria* Stt. denique dignoscitur costis 6 alarum posteriorum et costis 11 alarum anteriorum, harum costa 1 breviter furcata, ramo 6 et 7 petiolatis apicemque falcatum amplectentibus, linea ciliorum dividente et pterostigmate nullis.

Kessleria Zimmermannii sp. n. f. 3 ♂.

Alis anterioribus griseis, nitidis ante limbum squamulis inspersis albis, vitta plicali medio fusco interrupta vittulaque centrali canescenti albis; posterioribus cinereis. Capite hirto griseo.

Expansionem 7" habet.

Corpus cum artubus grisea.

Alae anteriores individuorum distinctius signorum insigniuntur juxta margines paucis punctis nigris vix discernendis, praeterea vittulis tribus longitudinalibus albis, quarum prima subobsoletior pone basin, secunda subcentralis in media linea longitu-

dinali alae, et tertia in plica sub interstitio illarum collocata est. Vittulam basalem sezungit a plicali media strigula obliqua fusca, quae intervallum centralis basalisque attingit et in nullo individuo in fasciam medium aut limbum versus continuatur. Varietates omnibus signaturis carent alasque unicolores griseas habent.

Cilia cinerea, basi paulum obscuriora multisque squamis inspersis albis in alis anterioribus, quarum ambae lineae dividentes vix discerni possunt.

Subtus alae unicolores cinereae, nitidissimae.

Ambo sexus similes.

Valde affinis *Alpicellae* HS. Neue Schmett. f. 45 ♀ et Suppl. f. 339 ♂. Halicina Alpicella habet verticem ac frontem nivea hirta, alas anteriores canas, in medio marginis interioris maculam magnam albam fusco cinctam; tum juxta margines series punctorum nigrorum et cilia versus apicem in fine densioris dimidii basalis acute nigro punctata. Caeterum generice et specificie cum K. Zimmermannii congruit. *Monticolella* FR. in lit., cuius Dr. Herrich-Schäffer tom. 5 p. 282 mentionem facit, testante amicissimo mihi Mann non Alpicella, sed Zimmermanii fuit.

Incolit Tatrorum alpina intra supraque Mughi regionem, imprimis montem Magóra 5206 p. v. elatum, ubi plura individua, simul cum Alpicella, initio Septembris cepi. Mann eam etiam in Austria in monte Schneeberg circa Kaiserstein detexit.

Gelechia Wagae Now. f. 5. ♀.

Alis anterioribus cinereis, umbris marginis anterioris tribus subobscurioribus, seriebus duabus bigaque tuberculorum et punctis limbalibus nigris; posterioribus albido cinereis.

Nowicki Enumer. Lepidopter. Hal. Orient., 1860,
p. 189.

Expansionem $5\frac{1}{2}$ —7" habet.

Antennae fuscae, tenerrime albido annulatae. Palpi cinerei, articulo ultimo subulato nigrobiannulato, paenultimo crasso, subtus squamis sulcatim divergentibus. Caput, thorax et scapulae alis concolora. Abdomen et pedes cinerea, hi fusco signati.

Alae anteriores constanter cinereae. In margine earum anteriore conspicuntur tres umbrae inaequales maculaeformes: prima (saepe puncto nigro indicata) ad $\frac{1}{5}$, secunda ad $\frac{2}{5}$ et tertia ad $\frac{3}{4}$. Sub ambabus anticis harum umbrarum tendunt duae, extrorsum conversae, obliquae series 2-4 punctorum scabrorum, sub umbra vero postica (tertia) adest in disco fere medio tuberculum duplex subverticale. In nonnullis individuis umbrae marginis anterioris plus minusve distincte marginem interiorem versus continuantur monstrantque quasi fascias tres obsoletas seriatotuberculatas. In speciminibus haud expansis series ambae tuberculorum in alis ita connivent, ut arcus alas cir-

cumcurrentes basinque versus concavos conficere videantur. *Striga postica angulata*, multis Gelechiis propria, meis speciminiibus deest nullaeque eam indicant signaturae. Apici marginis anterioris totique limbo incident puncta nigra, quae tamen aequa ac tubercula discoidalia colore pallidiora neque cincta neque signata sunt.

Nervatura quodammodo a solita aberrat. Alarum anteriorum costa 1a basi furcata, rami 2 et 3 remote e parte finali costae mediae, rami 4 et 5 ex angulo inferiore et rami 6 et 7, apicem amplectentes, ex angulo superiore cellulae mediae clausae, ramus 8 e ramo 7, rami 9-11 e costa media antica. Alarum posteriorum ramus 2 remotus, rami 3-5 separati at approximati, ramus 6 post costulam transversam e ramo 7 oritur et ambo apicem amplectuntur.

Cilia alarum omnium dilute cinerea, anteriorum linea dividente distinctiori obsoletave.

Subtus alae griseae, posteriores pallidiores.

Feminae distinctius signatae, in maribus tubercula vario gradu obsolescunt.

E similioribus Gelechiis differunt a mea specie:

Proximella HS. f. 492 colore laete cinereo punctisque anterioribus scabris non seriatis sed sparsis;

Euratella HS. f. 493 colore multo obscuriore punctisque scabris itidem dispersis;

Vulgella HS. f. 500 punctis scabris tantum duobus subobliquis ante et striola transversa pyramidata post medium;

Dodecella HS. f. 501 alis ant. fuscescenti transverse nebulosis, punctis scabris 6 dorso propinquis;

Triparella HS. f. 482 colore gilvescenti et paribus tribus tuberculorum nigrorum pallidiusque cinctorum.

Occurrit in Halicia sat frequenter a medio Mayo usque ad finem Junii in collinis ditionibus circa Radłowice, Czaple, Leopolim et Janow. Inhabitat silvas frondosas degitque imprimis in Corylo avellana. In pago Radłowice vero obvia mihi fuit etiam in impenetrabilibus Populi tremulae fructectis, quae excisum betuletum Lwowiec spisse convestiverunt. Opinor, eam incolam Europae orientalis probatum iri.

Gelechia *Herbichii* sp. n. f. 6 ♂.

Alis anterioribus angustis apiceque acutissimo, griseis, vitta plicalis fuscescenti, stigmatibus disci tribus punctisque limbalibus nigris; posterioribus cinereis.

Expansionem 6 habet.

Caput lutescenti cinereum, appresse squamatum. Corpus griseum. Antennae fuscae. Palpi albidi, articulo paenultimo subtus divergenter squamato et pone medium indistincte late fusco, articulo terminali basi et ante apicem annulo obscuro.

Alarum anteriorum costae fundo concolores. Stigmata minutula, vix conspicua, sine cingulo ferrugineo, ambo superiora distinctiora, inferius debilissi-

mum. basi parum admotum; post contrale strigula brevis longitudinalis datur. Plica squamis fuscis a basi ultra medium obscurata. Striga postica nulla.

Nervatura eadem est ac *Psilellae*. Alarum anteriorum costa 1a basi furcata, ramus 2 e postica et rami 9—11 ex antica costa media, rami 3—8 e costula transversa, rami 6 et 7 apicem amplectuntur, rami 7 et 8 petiolati et reliqui separati. Alarum posteriorum ramus 2 remotus, rami 3 et 4 ex eodem puncto, ramus 5 e costula transversa, ramus 6 e ramo 7 ante costulam transversam, ramus 7 recta prolongatio est costae mediae, rami 6 et 7 apicem amplectuntur.

Cilia cinerea, in alis anterioribus apicem versus indeterminate grosse squamata, ad angulum analem unicolora paucimque lutescentia.

Subtus alae cinereae, anteriores paulum obscurores, apice nigricanti fineque supremo punctum mentiente.

Affinissima *Psilellae* HS. f. 496, quae tamen alis anterioribus latioribus, apice obtusiori et costis ferrugineis discrepat. Cum *Inustella* HS. f. 498 et *Artemisiella* FR. t. 30 f. 2 propter formam alarum nullo modo confundenda est.

Hucusque nota mihi e solo Leopoliensi monticulo Francisci-Josephi, ubi sicca sabuleta herbosa inhabitat. Tempus volandi incidit in mensem Majum, quando in commemorata localitate etiam *Psilella* copiose invenitur.

Gelechia (*Anacampsis HS.*) Kneri Now. f. 7 ♂.

Alis anterioribus fusco rufescentibus, passim obsolete flavido intermixtis, limbo late nigricanti, punctulis solitis disci quatuor nigris, basi marginis interioris, macula ante apicem marginis anterioris, thorace, capite palpisque vitellinis; posterioribus obscure cinereis.

Nowicki Enumer. Lepidopt. Hal. Orient. 1860.
p. 191.

Forma ut in *Anacampside dimidiella* H. f. 253.

Expansionem $4\frac{1}{2}$ " habet.

Antennae nigrofuscae. Palpi magni, articulo pae-
nultimo appresse squamato omninoque innotato et
articulo terminali apice, saltem introrsum, nigricanti.

Alarum anteriorum angulus posticus distinctus,
limbus parum obliquus, fundo multo obscurior et velut
in *Dimidiella* late nigricans, linea limbalis innotata,
plica ultra medium tenerrime flavido mixta. Stigmata
ambo superiora cellula media et ambo inferiora plica
gerit, centrale distinctissimum est et maximum, am-
bo antica minora et obsoletiora, anteanale vix con-
spicuum centralique suppositum. Striga postica ma-
cula marginis anterioris indicatur.

Nervatura haec est. Alarum anteriorum costa 1a
furcata, rami 2 et 3 ex eodem punto, rami 4—6
e costula transversa, rami 4 et 5 basi valde appro-

ximati et r. 6 remotus, ramus 7 prolongatio est costae mediae emititque e parte tertia media ramulos 8 et 9, rami 10 et 11 e costa media, ram. 7 in ipsum apicem excurrit. Alarum posteriorum ramus 2 remotus, 3 et 4 ex eodem puncto, ramus 5 basi prope ortum rami 4, rami 6 et 7 ex eodem puncto, ramus 7 in ipsum apicem. (Nervatura *Dimidiellae* eadem est, nisi quod alarum anteriorum rami 2 et 3 brevissime petiolati sunt et rami 4 et 5 ex eodem puncto oriuntur).

Cilia alarum anteriorum obscure fusca lineaque dividente nigra, posteriorum cinerea.

Pagina inferior alarum anteriorum rufescenti cinerea maculaque marginis anterioris conspicua, alarum posteriorum cinerea.

Ambo sexus similes.

Inventa a me pluribus pulchris individuis 12. Junii et 6. Julii in campestri-collino tractu circa Janow et in collinis circa Krzywezyee prope Leopolim. In utraque ditione in coryletis delitebat.

Gelechia (*Anacampsis HS*) Dzieduszyckii n. sp. f. 4 ♂.

Alis anterioribus dilute testaceis, stigmatibus solitis disci tribus et punctis limbalibus umbraque lata angulata post medium fuscis; posterioribus cinereis.

Expansionem 8—8½" habet.

Caput cum thorace coloris alarum. Antennae fuscae, pallidius annulatae. Palpi longi, exalbidi, articulo medio crassiori appressequie subtus squamato, articulo apicali haud annulato. Corpus cinereum. Pedes antici et medii subfumati, postici murini, calcaribus anticis post medium insertis.

Alarum anteriorum limbus valde obliquus, angulus analis obsoletus. Stigmata in striolas longitudinales prolongata, inferius plicale basi approximatim est, ambo superiora cellula media gerit, horum alterum punctiforme vel rectum, alterum (in costula transversa) semper uncinatum. Ad $\frac{3}{4}$ partem longitudinis alae datur peculiaris umbra e squamulis congestis fuscis formata limbumque versus in angulum acute fracta, cuius ramus superior distinctior est marginemque anteriorem contingit, ramus inferior debilior ante marginem interiore evanescit, ambo vero rami simul cum stigmate centrali in nonnullis individuis quadrangulum sat bene imitantur. Area apicalis juxta costas sat late albido squamata est, qua re in areolas longitudinales dissectam se exhibet. Linea limbalis punctis distinctis fuscis obsidetur.

Nervatura solita est. Alarum anteriorum costa 1a furcata, rami 7 et 8 longe petiolati et reliqui separati, rami 6 et 7 apicem amplectuntur. Alarum posteriorum ramus 2 remotus, rami 3 et 4 ex eodem puncto in fine costae mediae posticae, ramus 5 e costula transversa, rami 6 et 7, quibus apex amplectitur, ex eodem punto in fine costae mediae anticae.

Cilia alarum posteriorum cinerea, anteriorum fundo concolora duabusque lineis dividentibus vix conspicuis, praesertim postica.

Subtus alae cinereae, anteriores obscuriores punctisque limbalibus.

Mas et femina similes.

Inserenda est sectioni Anacampsidum, quae alarum anteriorum limbo valde obliquo anguloque postico obsoleto insigniuntur. *Maculosella* HS. 5. 202. f. 463 a *Dzieduszyckii* forma alarum diversa facile dignoscitur atque hic ejus solum ea de causa mentionem facio, quia descriptio clar. Herrich-Schäfferi in ambas species quadrat.

Pluries a me lecta tertia et quarta hebdomade mensis Augusti in Tatrorum alpinis a superioribus limitibus Mughi subterga usque (5000—6000 p. v.). Non solum in Tatrorum parte Haliciana adest, nempe in montibus Bobrowiec (Mnichy), Magóra, Koszysta et Wołoszyn, sed etiam in Tatis Hungaricis, ubi eam montes Hawrań et Krywań inhabitantem observavi. Videtur numerose inveniri, at ex omnibus excursionibus propter inopportunas tempestates vix tria specimina integra domum reportare mihi contigit. Interdiu ad humum inter herbas abscondita latet.

Glyphipteryx Pietruskii n. sp. f. 8. ♂.

Alis anterioribus olivaceo fuscis, hamulis 6 marginis anterioris et 3 indistinctis marginis interioris subargenteis, punctis disci pluribus plumbeis; posterioribus griseis.

Expansionem 6" habet.

Caput olivaceum, appresse squamatum, fronte lata. Ocelli et lingua adsunt. Antennae griseae, medioriter longae. Palpi exalbidi, extus nigro annulati. Palpuli vix discernendi. Corpus nigricans, postici annuli abdominis marginibus posterioribus albentibus. Pedes fusti, pallidius signati, anticorum tibiae breviores et posticorum longiores femoribus.

Signaturae alarum anteriorum fere eadem sunt ac Bergstraesserellae, at obsoletae et in ipsis speciminiibus vel integerrimis vix discernendae. Marginis anterioris hamuli argenteo sublucent et quartus atque sextus introrsum in puncta plumbea desinunt. In margine interiore conspiciuntur tantum in certa versatione alarum 3 hamuli maculaeformes obsoleti et indeterminate versus alae medium porrigentes, ubi ambo postici punctis plumbeis terminantur. Pone limbum duplex biga punctorum datur. Nec hamuli neque puncta nigro sunt cineta, quare non satis a fundo aliena sunt. Coeruleus punctorum fulgor discerni non potest. Plurima collectorum a me individuorum signaturis omnibus carent unicoloraque videntur, omnia vero minime comparari possunt cum magnificentia, qua Bergstraesserella superbit.

Nervatura aequiparat nervaturam *Bergstraesserellae*. Alarum anteriorum costa 1a basi furcata, costa 1b basin versus subdistincta, rami 2—10 e fine cellulae mediae, ramus 11 basi proprius e costa media, costa 12 in medium marginis anterioris, rami omnes separati tantumque rami 3 et 4 et rami 6 et 7 basi approximati, rami 7 et 8 apicem amplectuntur. Intra finem costarum 12—10 membrana alae obscurata appetat. Cellula media dividitur superne a ramo 8 us-

que ad medium costae mediae anticae et inferne costula obsoleta intra ramum 5 et basin. Alarum posteriorum ramus 2 remotus a ramo 3, rami 3 et 4 ex eodem puncto producti anguli cellulæ mediae, rami 5—7 basi valde approximati, rami 6 et 7 apicem amplectuntur, ramus 6 in cellulam medianam continuatur; costula transversa obliqua. (In Bergstraesserella rami 5—7 paulum remotiores oriuntur et ramus 7 cum costa 8 brevi ramulo jungitur; in reliqua nervatura nullum discrimen conspicio).

Cilia alarum anteriorum basi olivaceo fusca, parte limbali alba; alarum posteriorum cinerascentia.

Subtus alae griseae, nitidae, posteriores pallidiores, anteriores hamulis marginis anterioris albidis.

Ambo sexus similes.

Incolit montes Tatricos, ubi eam Augusto initioque Septembbris, intra regionem alpinam in altitudine circiter 4500—6200 p. v., sat multam observavi. Bergstraesserella tantum in inferiore areae regione sub finem Maji initioque Junii obvia mihi fuit.

Argyresthia Dzieduszyckii Now. f. 9. ♀.

Capillis niveis; alis anterioribus obscure caesiis, nitidis, margine interiore subanguste obsolete argyreo, antice fuscescenti rivuloso et postice fascia media fusca interrupto, margine anteriore strigulis tribus mediis albis; posterioribus cinereis.

Nowicki Ennum. Lepidopt. Hal. Orient. 1860
p. 204.

Minima inter Argyresthias. Expansionem vix 4" habet.

Vertex hirtus nivens; frons lata, argyrea, appresse squamata; antennae exalbidae, inannulatae, articulo basali magno et hirto; palpi penduli, exalbidi, appresse squamati; palpuli et ocelli nulla; pedes exalbidi, tibiae posticorum fere duplo longiores femoribus interiorique calcare maximo.

Alarum anteriorum fundus argenteus tunc solum fit magis conspicuus, si alae in certam directionem ad lucem vertuntur. Vitta marginis interioris albida obsoleta est passimque tantum discernitur, plicam versus minus acute quam in aliis Argyresthiis terminatur, in parte basali magis quam postice coarctatur et rivulis pluribus fuscis dissecatur, in medio fascia fusca interrupitur, intra fasciam vero et angulum posticum in plagam albidam versus marginem anteriorem indeterminate continuatur. Fascia lata media subverticalis est ascenditque in medium marginis anterioris, ubi coronulatim dilabi videtur; latera hujus fasciae fere parallela interne verticalia sunt, superne autem apicem versus paulum se convertunt. In tertio medio marginis anterioris discernuntur hamuli 3 albi, quorum ambobus prioribus (similiter ut in Tetrapodella) fascia media utrimque terminatur et hamulus tertius secundo ita approximatus est, ut cum hoc hamulum geminatum aemuletur. Apicalis marginis anterioris pars, quae apud Conjugellam strigula una et in Tetrapodella strigulis 3 insignitur, in specimine meo signatura omni caret.

Nervatura alarum anteriorum discrepat tantum a nervatura aliarum Argyresthiarum, quantum rami 7 et 8, apicem amplectentes, sat longe petiolati sunt et ramus 11 fere e medio costae mediae exit; caeterum costa 1a basi non furcata, costa 1b sat distincta, omnes rami (connumerato petiolo r. 7 et 8) separati, costa 12 ante medium in marginem anteriem desinens et membrana alae intra finem rami 11 et marginem anteriorem obscurata. Alarum posteriorum ramus 2 remotus, rami 3 et 4 e longo petiolo exeunt, rami 5 et 6 breviusculi longissimeque petiolati, rami 6 et 7 apicem amplectuntur, et costa 8 longe ante medium in marginem anteriorem excurrit. Forma alarum anteriorum et posteriorum eadem est ut in aliis Argyresthiis.

Cilia alarum anteriorum versus apicem fusca, ad angulum posticum, prouti in alis posterioribus, cinerea.

Pagina inferior grisea, nitida.

Valde affinis quam hic adumbravi speciei videtur esse *Glaucinella* Zeller (Isis 1839 p. 205 et Linnaea Entom. 1847 vol. 2. p. 265; HS. 5. 277 f. 649) sed differt ab ea secundum descriptionem clar. Zelleri capillis exalbidis, fronte capillis albidiore, antennis obsolete fusco semiannulatis fasciaque media vix alae dimidium attingente.

Captum a me 2 Julii unicum individuum oritur ex collina ditione Rakowiec prope pagum Dobrowlany. Delitescebat ibidem in altioribus ramis *Quercus* in margine *quercti* vetustissimi, variis arboribus frondosis intermixti, ab incolis speciali no-

mine Łuh vocati amplumque humidum pratum foenarium Stawki w łuhu circumdantis.

Coleophora Zelleri Now. f. 10. ♂.

Antennis flagello albo fuscoque annulato, apice albido, articulo basali non penicillato; capite, palpis et thorace isabellinis; alis anterioribus luteis, nitidiusculis, punctulo disci ad $\frac{3}{4}$ fusco, alis posterioribus griseis.

Nowicki Enumer. Lepidopt. Hal. Orient. 1860
p. 212.

Expansionem $5\frac{1}{2}$ " habet.

Antennae flagello distinete albo fuscoque annulato, apice albenti et articulo basali longiori quam lato squamisque appressis isabellinis incrassato. Palporum articulus paenultimus fert barbulam breviusculam articulique terminalis basin vix excedentem. Pedes sericeo straminei. Abdomen fuscum ano lutescenti.

Alae anteriores $2\frac{8}{12}$ " longae et $6\frac{6}{12}$ " latae, grossiuscule squamatae, sine ullo vestigio lineolarum longitudinalium disci et margine anteriore fundo omnino concolore. Post disci medium marginique interiori propior est loculus, qui sub certa versatione alarum ut punctulum obscurum conspicitur.

Nervatura plane ea est, quae a clar. Herrich-Schäffero describitur.

Cilia alarum omnium unicolora cinerea,

Subtus alae schistaceae nitidulae.

Dr. WOCKE in Catalogo Lepidopterorum Europae speciei hujus jura in dubium vocat videturque de ea suspicari, eam *Unipunctellae* HS. f. 909 varietatem esse. Etiam clar. ZELLER literis me attentum facit, Unipunctellam characteres specificos magnopere mutare. Cujus auctoritate impulsus collectiones Vindobonenses iterata vice morose comparavi mihiique persuasum est, meam „Zelleri“ ut varietatem ad Unipunctellam referri non posse, quia marginem anteriores nec albidum nec pallidiorem sed fundo concolorum habet eique omne seriei limbalis lineolarum obscurarum vestigium deest. De Limosipennellae, Viminettellae (Orbitellae), Binderellae et Vitisellae diversitate minime dubitandum esse, oculis quoque habeo compertum.

Unicum individuum hujus novae Coleophorae cepi 21 Julii in collina ditione circa Radłowice, quum ibidem in silvula betulinea Lwowiec excisa loca florida tempore vespertino perscrutarer.

Lyonetia Schineri n. sp. f. 11. ♀.

Alis anterioribus ad marginem anteriorem fuscis, ad marginem interiorem argenteo niveis fasciaque submedia et macula anguli postici fuscis, apice ciliis fusco niveoque variis et pustula atra ante caudulam prominentem nigrum; posterioribus cinereis.

Lyon. albella Ev. Nowicki Enumer. Lepid. Hal. Orient. 1860 p. 229.

Expansionem $4\frac{3}{4}$ " habet.

Antennae nigrae, marginem anteriorem longitudo fere excedentes, articulo basali conchula oculari nivea. Palpi inferne penduli, exalbidi, appresse squamati. Frons lata, plana, exalbida, appresse squamata. Vertex corypha nivea, fusco terminata. Thorax niveus. Pedes exalbidi, posticorum tibiae calcaribus mediis, ut in Clerckella, ad $\frac{1}{3}$ insertis. Abdomen obscurum.

Alarum anteriorum dimidium superius introrsum margine sinnato terminatur, dimidium vero inferius fascia lata fusca interrupitur, quae pone medium marginis interioris incipit, valde oblique ad apicem vertitur et in fusco dimidio mox evanescit. Macula fusca pone angulum posticum ad limbum vergit.

Nervatura aequat nervaturam *Clerckellae* satque distincta est. Alarum anteriorum costa 1a basi furcata, rami 2 et 3 separate ad finem costae mediae exeunt, rami 4 et 5 ex uno punto apicis cellulae mediae oriuntur apicemque amplectuntur (re vera r. 4 in apicem excurrit), ramus 6 e costa media antica ante hujus finem, ramus 7 e medio costae mediae anticae egreditur et in posticum dimidium marginis anterioris desinit, costa 8 difficilis agnitu, cum margine anteriore juneta; apex a ramo 2 et 6 acuminatur. In alis posterioribus video singulas costas ad marginem anteriorem et interiorem, tum costulam indistinctam in medio alae apicem versus decurrentem, furculam autem hujus costulae, qua testante clar. Herrich-

Schäffero insignitur Clerckella, cognoscere non possum, quamquam sub microscopo desquamatam alam varie collustratam conversamque intueor.

Cilia apicis alarum anteriorum nivea sunt tantumque sub pustula et versus maculam anguli basi anguste fuscescunt et in margine anteriore strigulis 5 fuscis interrumpuntur, quarum 3 anticae abbreviatae sunt, quarta vero longissima (ante pustulam) et quinta brevior (ante caudulam) cilia percurrunt. Ad angulum posticum et juxta marginem interiorem, porro in aliis posterioribus, cilia unicolora cinerea sunt.

Subtus alae griseae et anteriores in apice iisdem ut supra signaturis ornatae sunt.

In elaboranda Enumeratione meam Lyonetiam pro *Albella* Eversm. HS. t. 107. f. 853 habui. Deinde quamvis amborum animantium similitudo esset fallacissima, tamen mihi persuasum est, meum papiliunculum speciem diversam esse, quare eundem hic sub mutato nomine „Schineri“ divulgo. Clarissimi Eversmanni adumbratio diagnostica Albellae in Fauna Volgo—Uralensi p. 600 in meam speciem sat bene quadrat estque haec: „Antennae nigrae; caput hirtum et thorax alba; alae anticae ad costam nigro-fuscae, ad marginem posticum argenteae, fasciis duabus valde obliquis nigris, saepe marginem posticum non attingentibus; ciliis candido fuscoque variis, puneto apicali atro; posticae grisescentes. Volat in provincia Casanensi Octobri“. *Padifoliellae* HS. f. 854 et *Pru-nifoliellae* HS. f. 855. diversitas a mea „Schineri“ nullo modo suspicari potest.

Pulcherrimae ac eximiae hujus speciei specimen unicum femineum prope Leopolim in campestri betuleto pagi Zubrze detegere mihi contigit. Excitatum et captum est a me 6 Octobris tempore pomeridiano, quum in margine silvatico Alnos glutinosas, promiscue intra Salices, Quercus et rubeta crescentes, percuterem. Amicissimo mihi Mann individuum unum ante annos etiam in Bohemia in manus venerat, quod tota cum sua collectione Microlepidopterorum dom. Schneider vendidit.

CONSOCH TATRICARUM NOVARUM SPECIERUM

secundum variam elevationem distributi.

8414

summa elevatio

- *Regio nudorum scopulorum* Pontia napi.
- Vanessa urticae.
- Pontia rapae.
- Pontia brassicae.
- Plutella cruciferarum Z.

6500

med. alt. tergo-
rum.

- *Reg. terygorum* Pontia brassicae, rapae, napi, V. urticae, Er. Manto. — Fum. bombycella. — Agr. fugax, Pl. gamma. — Ps. horridata, alpinata SV., chaonaria Frr., Gn. operaria, Eup. scriptaria. — Botys monticolalis HS., Eud. octonella. — Graph. mercuriana, Penth. Źebrawskii Now., Nem. pilella, Gel. Dzieduszyckii Now., Plut. cruciferarum, Pleur. bicostella, Glyphipteryx Pietruskii Now., Poeciloptilia bifasciella, Micropteryx aureatella.

5200

sup. lim. Mughi

- *M u g h i* Podalirius, Apollo, Aglaja, Brassicae, Rapae, Napi, Pales, Atalanta, Cardui, Urticae, Gorge, Manto, Pyrrha. — Humuli, Fum. bombycella, Gastr. quercus. — Pl. gamma, Agr. fugax. — Ac. perochraria, Gn. glaucinata, Ps. horridata, Fid. atomaria, Cid. populata, spadicearia, aptata, affinitata, montanata, rupestrata, caesiata var. flavicinctata, minorata, incultaria. — Bot. monticolalis, alpinalis, nebulalis, Cramb. radiellus, coulonellus, Eud. sudetica. — Heterogn. Steineriana SV., unicolorana Dup. (asphodilana HS.), Sciaph. chrysanthemana, Penth. irriguana HS., palustrana Z., Graph. hypericana, mercuriana, spuriana HS., pimivora Z., myrtillana Tr. — Kessleria alpicella HS., K. Zimmermannii Now., Plut. cruciferarum, Gel. Dzieduszyckii Now., perpetuella HS., galbanella Z., pedisequella H., Glyphipteryx Pietruskii Now.

4400

sup. lim. Ab.
excelsae

4210

inf. lim. Mughi

- *R e g i o t r i c a* Apollo, P. crataegi, brassicae, rapae, napi, R. rhamni, Aegon, Argus, Eu-phrosyne, Cardui, Urticae, Jo, Atalanta, Medea, Ligea, Euryale, Epiphron, Maera, Hyperanthus, Janira, Pamphilus, Iphis, Sylvanus, Lineola. — Sm. ocellata, Minos, Statices, Ep. humuli, carna, Ligniperda, Gastr. quercus, rubi, Dasych. salicis, Arc. plantaginis, Phr. fuliginosa. — Agr. corticea SV., Eupl. lucipara, Myth. imbecilla, Hydr. nictitans, Pl. gamma. — Pylarge commutata, Metr. fasciaria, Num. capreolaria, Mac. signaria H., B. repandata, Gn. dilucidaria, Od. chaerophyllata, Cid. limitata Scop., populata, truncata, fluctuata, montanata, caesiata, rupestrata, minorata, elutata, variata, Podevinaria. — Asopia domesticalis Z., farinalis, pinguinalis, Bot. cespitalis, hybridalis, aerealis, Herc. alpestralis, Cramb. pascuellus, perrellus, culmellus, pratorum, tristellus, Eud. ambigualis, mercurella, parella Z., sudetica Z., Myelois terebrella ZK., Hyp. ahenella, Eph. elutella, Aph. colonella. — Tortrix Gerningana, ministrana, Forsterana, Sciaph. osseana, gouana, bellana Curt., Wahlbomiana, alticolana, Conch. hamana, badiana H., Penth. sauciana, rosetana H., conchana H., lacunana, bipunctana, Charpentierana, hercyniana Fr., Graph. caccimaculana H., comitana, scutulana, Brunnichiana, aspidiscana, hypericana, pallifrontana Z., lanceolana var. signana, trifoliana, Dicrh. plumbana. — Scardia tessulatella, T. cloacella, granella, spretella, misella, Nemotois violellus, Incurv. vetulella, pectinea Haw., Plut. cruciferarum, Depr. dauecella, Gel. tripunctella, cinerella, galinella Tr., terrella, scotinella, artemisiella, Aech. Thrassonella, Endr. lacteella, Choreutis Bjerkandrella. — Tephradactylus, fuscus.


3105

sup. lim. Fagi

3105

pagus Zakopane

R e g i o



1. *Heterognomon Źebruszkii* Now.
 2. *Grapholita Źebarzenskii* Now.
 3. *Svamnerd. Zimmermannii* Now.
 4. *Gelechia Dzieduszyckii* Now.
 5. *Gelechia Wagae* Now.
 6. *Gelechia Herbichi* Now.
 7. *Gelechia Kineri* Now.
 8. *Glyphypteryx Pietruskii* Now.
 9. *Aggyrastria Dzieduszyckii* Now.
 10. *Coleophora Zelleri* Now.
 11. *Lyonetia Schineri* Now.
 12. *Choristoneura Besseri* Now.



<http://econ.org.pl>

Inst. Zool. PAN
Biblioteka

K.10176-79